

animo religioso, vere poenitenti, et ab omni affectu lethalis peccati libero.

Quaeres 10. *Quid sit Jubilaeus?*

Resp. Definitur, *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis*: v. gr. absolvendi ab omnibus casibus et censuris reservatis, commutandi vota, et caetera quae in Bulla exprimuntur, quae ideo attente perlegi debet.

DISSERTATIO VI.

De Extrema-Uncione.

Quaeres 1. *Quid sit Extrema-Uncio?*

Resp. Definitur, *Sacramentum a Christo institutum, quo infirmi de vita periclitantes, per unctionem Olei, et orationem Sacerdotis, obtinent salutem animae, et sanationem membrorum, ubi saluti animae expedit.*

Quaeres 2. *Utrum Extrema-Uncio sit Sacramentum proprie dictum?*

Resp. affirm. Et prob. ex Script. Jacobi. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei*; atqui illa Uncio habet omnia requisita ad rationem Sacramenti: nam 1. est signum sensibile, nempe, *Uncio et oratio*. 2. Habet vim producendi gratiam, et si in peccatis sit, remittentur ei. 3. Est a Christo praecepta, *inducat Presbyteros Ecclesiae*. 4. Est perpetua et constans in Ecclesia, ut constat ex perpetua ejus praxi, et constanti traditione Patrum: ad quem attendens Conc. Trid. sess. 14. can. 1. definit: *Si quis dixerit Extremam-Uncionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo promulgatum. . . anathema sit.*

Quaeres 3. *Quo tempore Christus instituerit Extremam-Uncionem?*

Resp. Plane incertum est; probabilius tamen est quod ipsam instituerit post suam resurrectionem, nam ex Trident. Extrema-Uncio est *Poenitentiae consummativum Sacramentum*; ergo probabilius est quod fuerit instituta eo ipso tempore, quod Sacramentum Poenitentiae, nimirum inter resurrectionem et ascensionem.

Quaeres 4. *Quaenam sit materia Extremae-Uncionis?*

Resp. 1. *Materia remota*, est oleum, et quidem olivarum, quod est oleum simpliciter dictum, sicut panis triticeus est simpliciter panis: item debet esse ab Episcopo benedictum, juxta illud Concil. Flor. *Extrema-Uncio, cujus materia est oleum olivae per Episcopum benedictum*. Idem habet Conc. Trident. potest tamen Sacerdos ex commissione Episcopi illud benedicere, ut constat ex praxi Ecclesiae Graecae, in qua simplices Presbyteri, (ex concessione saltem tacita SS. Pontificum, ut asserit Goarius, pag. 436.) oleum istud benedicunt, quam praxim approbavit Clemens VIII. an. 1595.

Resp. 2. *Materia proxima* est Uncio, *ungentes eum oleo*, inquit Div. Jacobus. Porro ad Sacramenti validitatem una sufficit Uncio, nam D. Jacobus Uncionis simpliciter facit mentionem, non plurium: ex praeepto vero Ecclesiae multiplex adhibetur, pro cujusque Dioecesis disciplina necessaria consulenda et religiose observanda, cum illam tacite saltem approbet Ecclesia universa.

Quaeres 5. *Quid facere debeat Sacerdos, quando oleum benedictum deficit?*

Resp. Debet oleo consecrato admiscere non consecratum; ex cap. *Quod in dubiis*, tit. *de consecr. Ecclesiae*. Ex illa enim unione oleum non consecratum consecrationem quamdam contrahit.

Quaeres 6. *Quaenam sit forma Extremae-Uncionis?*

Resp. Sunt haec verba: *Per istam sanctam Uncionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per visum (et ita de aliis sensibus) deliquisti.* Ita praescribunt Concil. Flor. in decreto, et Trid. sess. 14. c. 1.

Objicies. Forma aliorum Sacramentorum est absoluta; ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Disparitas petitur ex Institutione Christi, qui aequè potuit gratiam alligare formae deprecativae, ac indicativae.

Quaeres 7. *Quinam sit minister Extremae-Uncionis?*

Resp. Est solus Sacerdos: *Inducat Presbyteros Ecclesiae,* inquit D. Jacobus. Unusque Sacerdos sufficit, ut definiit Alex. III. cap. *Quaesivit,* de verborum significatione, *Sacerdos,* inquit, *uno praesente Clerico, et etiam solus potest infirmum ungere.* Nullus tamen Sacerdos potest, extra casum necessitatis, hoc Sacramentum licite administrare, nisi habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, ex Clementina 1. *de privilegiis.*

Quaeres 8. *Quodnam sit subjectum Extremae-Uncionis?*

Resp. Est infirmus, de cujus morte timetur, usu rationis aliquando praeditus: in infantibus enim ac perpetuo amentibus, nulla peccata, nullaevae peccatorum reliquiae sunt abstergendae.

Quaeres 9. *Quaenam dispositiones requirantur in subjecto Extremae-Uncionis?*

Resp. Duae, scilicet, *status gratiae,* quia est Sacramentum vivorum; *et intentio,* saltem habitualis, recipiendi Sacramenti. Insuper D. Thom. *quaest. 32. art. 4. in Supplem.* requirit devotionem actualem; at tamen virtuales sufficere existimamus: quare Paro-

chi curare debent, ut infirmis administretur, cum adhuc sunt integris sensibus.

Quaeres 10. *Utrum Extremae-Uncio sit necessaria?*

Resp. Non est necessaria necessitate medii, sed est necessaria necessitate praecepti, tum divini, juxta illud D. Jacobi, *Inducat Presbyteros,* quod importat praeceptum, ut interpretatur Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. tum Ecclesiastici, in omnibus Ritualibus manifestati.

Quaeres 11. *Quinam sint effectus Extremae-Uncionis?*

Resp. Sublato obice, sunt, 1. Productio gratiae sanctificantis. 2. Remissio peccatorum. 3. Abstersio reliquiarum peccati, hoc est, propensionis ad malum; corporis ad faciendum bonum, debilitatis mentis a peccato provenientis, qua fit ut homo sit ita expeditus ad intuenda et meditanda coelestia. 4. Alleviatio animae infirmi, per magnam divinae misericordiae fiduciam quae in eo excitatur. 5. Corporis sanatio, si expedierit animae saluti. Hi enim omnes effectus in verbis D. Jacobi continentur, et a Concil. Trid. sess. 14. tit. *de Extremae-Uncione,* recensentur.

Quaeres 12. *An Sacramentum Extremae-Uncionis sit iterabile?*

Resp. affirm. Nam non imprimit characterem; unde, juxta Conc. Trident. cap. 3. *Si infirmi, post susceptam hanc unctionem, convalescerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.* Ex quo sequitur non posse iterari durante eodem morbo, nisi infirmus convalescit, et postea in novum mortis periculum relabatur.